N. 3589.

CURENDA XX.

A. D. 1868.

In ulteriori nexu cum Nostra notificatione de 3. Aug. 1868. Nr. 75. praes. (Cur. XVIII. ex 1868.) communicamus Ven. Clero Dioecesano duas bullas Pontificias, quibus Summus Pontifex Pius IX. omnes Episcopos Ecclesiarum ritus orientalis, communionem cum Apostolica Sede non habentes, tum etiam omnes Protestantes aliosve acatholicos, ad participandum in Concilio generali seu oecumenico anno sequenti 1869 celebrando invitat.

N. praes. 121.

Sanctissimi Domini Nostri PII Divina Providentia PAPAE IX. litterae Apostolicae ad omnes Episcopos ecclesiarum ritus orientalis communionem cum Apostolica Sede non habentes.

PIUS PP. IX.

Arcano Divinae Providentiae consilio, licet sine ullis meritis Nostris, in hac sublimi Cathedra haeredes Beatissimi Apostolorum Principis constituti, qui *juxta praerogativam sibi a Deo concessam firma et solidissima petra est, super quam Salvator Ecclesiam aedificavit 1)*, impositi Nobis oneris sollicitudine urgente, ad eos omnes in qualibet terrarum Orbis regione degentes, qui christiano nomine censentur, curas Nostras extendere, omnesque ad paternae caritatis amplexus excitare vehementissime cupimus et conamur. Nec vero absque gravi animae Nostrae periculo partem ullam christiani populi negligere possumus, qui pretiosissimo Salvatoris Nostri sanguine redemptus et sacris baptismi aquis in Dominicum gregem adlectus, omnem sibi vigilantiam Nostram jure deposcit. Itaque cum in omnium procurandam salutem, qui Christum Jesum agnoscunt et adorant, studia omnia cogitationesque Nostras indesinenter conferre debeamus, oculos Nostros ac paternum animum ad istas convertimus Ecclesias, quae olim unitatis vinculo cum hac Apostolica Sede conglutinatae tanta sanctitatis caelestisque doctrinae laude florebant, uberesque divinae gloriae et animarum salutis fructus edebant, nunc vero per nefarias illius artes ac machinationes, qui primum schisma excitavit in caelo, a communione Sanctae Romanae Ecclesiae, quae toto Orbe diffusa est, sejunctae ac divisae cum summo Nostro moerore existunt.

Hac sane de causa jam ab ipso supremi Nostri Pontificatus exordio Vobis pacis caritatisque verba toto cordis affectu loquuti sumus 2). Etsi vero haec Nostra verba optatis-

1) S. Greg. Nyssen. Laudatio altera S. Steph. Protomart. ap. Galland. VI. 600.

2) Epist. ad Orientales *In suprema* die 6. Januarii an. 1848.

simum minime obtinuerint exitum, tamen nunquam Nos deseruit spes fore, ut humiles aeque ac ferventes Nostras preces propitius exaudire dignetur clementissimus ac benignissimus salutis pacisque Auctor, *qui operatus est in medio terrae salutem, quique oriens ex alto pacem sibi acceptam et ab omnibus acceptandam evidenter ostendens, eam in ortu suo Angelorum ministerio bonae voluntatis hominibus nunciavit, et inter homines conversatus verbo docuit, praedicavit exemplo 3).*

Jam vero cum nuper de Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium consilio Oecumenicam Synodum futuro anno Romae celebrandam, ac die octava mensis Decembris Immaculatae Deiparae Virginis Mariae Conceptioni sacro incipiendam indixerimus et convocaverimus, vocem Nostram ad Vos rursus dirigimus, et majore, qua possumus, animi Nostri contentione Vos obsecramus, monemus et obtestamur, ut ad eamdem generalem Synodum convenire velitis, quemadmodum Majores Vestri convenerunt ad Concilium Lugdunense II. a recol. mem. B. Gregorio X. Praedecessore Nostro habitum, et ad Florentinum Concilium a fel. record. Eugenio IV. item Decessore Nostro celebratum, ut dilectionis antiquae legibus renovatis, et Patrum pace, caelesti illo ac salutari Christi dono quod tempore exaruit, ad vigorem iterum revocata 4), post longam moeroris nebulam et dissidii diuturni atram ingratamque caliginem serenum omnibus unionis optatae jubar illucescat 5).

Atque hic sit jucundissimus benedictionis fructus, quo Christus Jesus nostrum omnium Dominus et Redemptor immaculatam ac dilectissimam Sponsam suam catholicam Ecclesiam consoletur, ejusque temperet et abstergat lacrimas in hac asperitate temporum, ut, omni divisione penitus sublata, voces antea discrepantes perfecta spiritus unanimitate collaudent Deum, qui non vult schismata esse in nobis, sed ut idem omnes dicamus et sentiamus Apostoli voce praecepit; immortalesque misericordiarum Patri semper agantur gratiae ab omnibus Sanctis suis, ac praesertim a gloriosissimis illis Ecclesiarum Orientalium antiquis Patribus et Doctoribus, cum de caelo prospiciant instauratam ac redintegratam cum hac Apostolica Sede catholicae veritatis et unitatis centro conjunctionem, quam ipsi in terris viventes omnibus studiis atque indefessis laboribus fovere et magis in dies promovere tum doctrina, tum exemplo curarunt, diffusa in eorum cordibus per Spiritum Sanctum caritate Illius, qui medium maceriae parietem solvit, ac per Sanguinem suum omnia conciliavit et pacavit, qui signum discipulorum suorum in unitate esse voluit, et cujus Oratio ad Patrem porrecta est: Rogo ut omnes unum sint, sicut et Nos unum sumus.

Datum Romae apud S. Petrum die 8. Septembris anno 1868.

Pontificatus Nostri Anno Vicesimotertio.

---

3) Epist. B. Greg. X. ad Michaelem Palaeologum Graec. Imper. die 24. Octobris an. 1272.

4) Epist. LXX. al. CCXX. S. Basilii Magni ad S. Damasum Papam.

5) Defin. S. Oecum. Synodi Florent. in Bulla Eugen IV. *Laetentur Caeli.*

N. praes. 122.

Sanctissimi Domini Nostri PII Divina Providentia PAPAE IX. Litterae Apostolicae ad omnes Protestantes, aliosque Acatholicos

PIUS PP. IX. Jam vos omnes noveritis, Nos licet immerentes ad hanc Petri Cathedram evectos, et iccirco supremo universae catholicae Ecclesiae regimini, et curae ab ipso Christo Domino Nobis divinitus commissae praepositos opportunum existimasse, omnes Venerabiles Fratres totius orbis Episcopos apud Nos vocare, et in Oecomenicum Concilum futuro anno concelebrandum cogere, ut cum eisdem Venerabilibus Fratribus in sollicitudinis Nostrae partem vocatis ea omnia consilia suscipere possimus, quae magis opportuna, ac necessaria sint, tum ad dissipandas tot pestiferorum errorum tenebras, qui cum summo animarum damno ubique in dies dominantur et debacchantur, tum ad quotidie magis constituendum, et amplificandum in christianis populis vigilantiae Nostrae concreditis verae fidei, justitiae, veraeque Dei pacis regnum. Ac vehementer confisi arctissimo et amantissimo conjunctionis foedere, quo Nobis, et Apostolicae huic Sedi iidem Venerabiles Fratres mirifice obstricti sunt, qui nunquam intermiserunt omni supremi Nostri Pontificatus tempore splendidissima erga Nos, et eamdem Sedem fidei, amoris, et observantiae testimonia praebere, ea profecto spe nitimur fore, ut veluti praeteritis saeculis alia generalia Concilia, ita etiam preasenti saeculo Concilium hoc Oecumenicum a Nobis indictum uberes, laetissimosque, divina adspirante gratia, fructus emittat pro majore Dei gloria, ac sempiterna hominum salute.

Itaque in hanc spem erecti, ac Domini Nostri Jesu Christi, qui pro Universi humani generis salute tradidit animam suam, caritate excitati, et compulsi, haud possumus, quin futuri Concilii occasione eos omnes Apostolicis, ac paternis Nostris verbis alloquamur, qui etiamsi eumdem Christum Jesum veluti Redemptorem agnoscant, et in christiano nomine glorientur, tamen veram Christi fidem haud profitentur, neque catholicae Ecclesiae communionem sequuntur. Atque id agimus, ut omni studio et caritate eos vel maxime moneamus, exhortemur, et obsecremus, ut serio considerare et animadvertere velint, num ipsi viam ab eodem Christo Domino praescriptam sectentur, quae ad aeternam perducit salutem. Et quidem nemo inficiari, ac dubitare potest, ipsum Christum Jesum, ut humanis omnibus generatiouibus redemptionis suae fructus applicaret, suam hic in terris supra Petrum unicam aedificasse Ecclesiam, idest unam, sanctam, catholicam, apostolicam, eique necessariam omnem contulisse potestatem, ut integrum inviolatumque custodiretur fidei depositum, ac eadem fides omnibus populis, gentibus, nationibus traderetur, ut per baptisma omnes in mysticum suum corpus cooptarentur homines, et in ipsis semper servaretur, ac perficeretur illa nova vita gratiae, sine qua nemo potest unquam aeternam mereri et assequi vitam, utque eadem Ecclesia, quae mysticum suum constituit corpus in sua propria natura semper stabilis et immota usque ad consummationem saeculi permaneret, vigeret, et omnibus filiis suis omnia salutis praesidia suppeditaret. Nunc vero qui accurate consideret, ac meditetur conditionem, in qua versantur variae

et inter se discrepantes religiosae societates sejunctae a catholica Ecclesia, quae a Christo Domino, ejusque Apostolis sine intermissione per legitimos sacros suos Pastores semper exercuit, et in praesentia etiam exercet divinam potestatem sibi ab ipso Domino traditam, vel facile sibi persuadere debebit, neque aliquam peculiarem, neque omnes simul conjunctas ex eisdem societatibus ullo modo constituere, et esse illam unam et catholicam Ecclesiam, quam Christus Dominus aedificavit, constituit, et esse voluit, neque membrum, aut partem ejusdem Ecclesiae ullo modo dici posse, quandoquidem sunt a catholica unitate visibiliter divisae. Cum enim ejusmodi societates careant viva illa, et a Deo constituta auctoritate, quae homines res fidei, morumque disciplinam praesertim docet, eosque dirigit, ac moderatur in iis omnibus, quae ad aeternam salutem pertinent, tum societates ipsae in suis doctrinis continenter variarunt, et haec mobilitas, ac instabilitas apud easdem societates nunquam cessat. Quisque vel facile intelligit, et clare aperteque noscit, id vel maxime adversari Ecclesiae a Christo Domino institutae, in qua veritas semper stabilis, nullique unquam immutationi obnoxia persistere debet, veluti depositum eidem Ecclesiae traditum integerrime custodiendum, pro cujus custodia Spiritus Sancti praesentia, auxiliumque ipsi Ecclesiae fuit perpetuo promissum. Nemo autem ignorat, ex hisce doctrinarum, et opinionum dissidiis socialia quoque oriri schismata, atque ex his originem habere innumerabiles communiones, et sectas, quae cum summo christianae, civilisque reipublicae damno magis in dies propagantur.

Enimvero quicumque religionem veluti humanae societatis fundamentum cognoscit, non poterit non agnoscere, et fateri quantam in civilem societatem vim ejusmodi principiorum, ac religiosarum societatum inter se pugnantium divisio, ac discrepantia exercuerit, et quam vehementer negatio auctoritatis a Deo constitutae ad humani intellectus persuasiones regendas, atque ad hominum tum in privata, tum in sociali vita actiones dirigendas excitaverit promoverit, et aluerit hos infelicissimos rerum, ac temporum motus, et perturbationes, quibus omnes fere populi miserandum in modum agitantur, et affliguntur.

Quamobrem ii omnes, *qui Ecclesiae Catholicae unitatem et veritatem* non tenent (1), occasionem amplectantur hujus Concilii, quo Ecclesia Catholica, cui eorum Majores adscripti erant, novum intimae unitatis, et inexpugnabilis vitalis sui roboris exhibet argumentum, ac indigentiis eorum cordis respondentes ab eo statu se eripere studeant, in quo de sua propria salute securi esse non possunt. Nec desinant ferventissimas miserationum Domino offerre preces, ut divisionis murum disiiciat, errorum caliginem depellat eosque ad sinum sanctae Matris Ecclesiae reducat, in qua eorum Majores salutaria vitae pascua habuere, et in qua solum integra Christi Jesu doctrina servatur traditur, et caelestis gratiae dispensantur mysteria.

Nos quidem cum ex supremi Apostolici Nostri ministerii officio Nobis ab ipso Christo Domino comisso omnes boni pastoris partes studiosissime explere, et omnes universi terrarum orbis homines paterna caritate prosequi, et amplecti debeamus, tum has Nostras ad o-

(1) S. August. Epist. 61. al. 223.

mnes christianos a Nobis sejunctos Litteras damus, quibus eos etiam, atque etiam hortamur et obsecramus, ut ad unicum Christi ovile redire festinent; quandoquidem eorum in Christo Jesu salutem ex animo summopere optamus, ac timemus, ne eidem Nostro Judici ratio a Nobis aliquando sit reddenda, nisi, quantum in Nobis est, ipsis ostendamus, et muniamus viam ad eamdem aeternam assequendam salutem. In omni certe oratione et obsecratione cum gratiarum actione nunquam desistimus dies noctesque pro ipsis celestium luminum, et gratiarum abundantiam ab aeterno animarum Pastore humiliter, enixeque exposcere. Et quoniam vicariam Ejus hic in terris licet immerito gerimus operam, iccirco errantium filiorum ad catholicae Ecclesiae reversionem expansis manibus ardentissime expectamus, ut eos in caelestis Patris domum amantissime excipere, et inexhaustis ejus thesauris ditare possimus. Etenim ex hoc optatissimo ad veritatis, et communionis cum catholica Ecclesia reditu non solum singulorum, sed totius etiam christianae societatis salus maxime pendet, et universus mundus vera pace perfrui non potest, nisi fiat unum ovile, et unus pastor.

Datum Romae apud S. Petrum die 13. Septembris 1868

Pontificatus Nostri Anno Vicesimotertio.

Haec autem Vobis Venerabilis Fratres communicando, non possumus non excitare Vos, ad crebras easque ferventes orationes ad Deum Patrem, fontem dilectionis ac pacis fundendas, ut operi huic jam aliquoties lapsu saeculorum a Summis Pontificibus suscepto, et nunc iterum a gloriose Ecclesiam gubernante Summo Pontifice Pio IX. reassumpto, benedicere, optatumque successum, ad gloriam Dei, regnique Ejusdem in his terris augendam, pacem vero genuinam populis christianis donandam, benignissime concedere dignaretur.

Tanoviae 13. Octobr. 1868.

N. praes. 119.

Excellentissimus Dominus Comes Agenor Goluchowski C. R. Locumtenens Leopolitanus ad Nos direxit litteras, quarum tenorem Venerabili Clero Dioecesano communicamus:

Prezydyum Namiestnictwa we Lwowie. L. 5437.

Najprzewielebniejszy Księże Biskupie! Jego c. k. Apostolska Mość Najjaśniejszy Pan przychylając się najłaskawiéj do méj prośby, Najwyższym listem odręcznym z dnia 1. b. m. najmiłościwiéj raczył uwolnić mnie z posady Namiestnika królestwa Galicyi i Lodomeryi z Wielkiem Księstwem Krakowskiém.

Ustępując z méj posady, któréj dalsze kierownictwo składam tymczasowo w ręce Pana Wiceprezydenta JWgo Karola Moscha, muszę podziękować za przyjaźną życzliwość, jakiéj doznawałem ze strony Waszéj Biskupiéj Przewielebności a która znakomicie ułatwiała wzajemne władz stosunki.

Wasza Biskupia Przewielebność raczy zawiadomić o tém Przewielebne duchowieństwo Swéj dyecezyi.

Proszę przytém przyjąć zapewnienie o mojém najwyższém poważaniu.

We Lwowie dnia 7. Października 1868.

Gołuchowski.

Tarnoviae 9. Octobr. 1868.

N. C. 3114.

In nexu cum legibus civilibus de matrimonio dtto 25. Maji 1868. N. 47. (Cur. XII. et XIII. ex 1868) et de 1. Julii 1868. N. 80 (Cur. XVI. et XVII. ex 1868) jam notificatis, communicatur sequentibus alta ordinatio ministerialis intuitu instantiarum competentium quoad impertiendas dispensationes ab impedimentis civilibus matrimonii.

Reichs-Gesetz-Blatt

Stück LI. ex 1868.

123.

Verordnung des Ministers des Innern vom 30. August 1868,

zur gleichförmigen Regelung der behördlichen Competenz in jenen Angelegenheiten, in welchen früher in erster Instanz die Kreisbehörden zu entscheiden hatten.

Zur Beseitigung der bisher bestandenen Ungleichförmigkeit in den Competenzsphären der politischen Landes- und Bezirksbehörden in jenen Angelegenheiten, in welchen früher die bestandenen Kreisbehörden in erster Instanz zu entscheiden hatten, finde ich im Grunde Allerhöchster Entschließung vom 29. August 1868 zu verordnen:

In allen Ländern ohne Unterschied, ob daselbst Kreisbehörden bestanden haben oder nicht, gehören jene Angelegenheiten, welche in Gemäßheit der Ministerial-Verordnung vom 19. Jänner 1853 (Reichs-Gesetz-Blatt Nr. 10) den Kreisbehörden und nur in deren Ermanglung der Landesstelle zur Entscheidung in erster Instanz zugewiesen waren, künftig zur Competenz der politischen Bezirksbehörden ersten Instanz.

In Ehedispens-Angelegenheiten bleiben die hierauf bezüglichen Bestimmungen des Gesetzes vom 25. Mai 1868, Nr. 47, und der Vollzugsverordnung vom 1. Juli 1868, Nr. 80 des Reichs-Gesetz-Blattes, unberührt.

Diese Verordnung tritt mit dem Tage ihrer Kundmachung in Wirksamkeit.

Giskra m. p.

E Cons. Ep. Tarnov. 10. Sept. 1868.

N. 2906.

De inscriptione sic ditorum matrimoniorum civilium in libris parochialibus metricarum.

In nexu cum Litteris Nostris Pastoralibus de 24 Junii 1868 N. 69/praes. (Cur. XI. ex 1868) et in sequelam altae ordinationis Ministerialis de 1. Julii 1868 Leg, Imp. fasc. XXXII. N. 80. §. 23. (Cur. XVI. et XVII. ex 1868), sequentia ultro observanda esse praecipimus.

Nimirum §. 23 legis citatae statuitur, ut Curator animarum ad quem nupturientes prius se converterant, postquam de matrimonio inter eosdem coram auctoritate civili celebrato attestatum officiosum art. II. §. 9. legis matrimonialis civ. (de 25. Maji 1868 cf. Cur. XII. et XIII. ex 1868) praescriptum obtinuerit, in fundamento istius attesti actum conjunctionis istius civilis, in libris metricarum, observato ordine seriei ac numeri currentis inserat; &c.

Ut igitur uniformis modus hoc obtutu servetur, haec quoad actum insertionis erunt tenenda: Curator animarum videlicet, attestatum praelaudatum de copulatione civili peracta, a respectiva auctoritate civili obtinens, praeter inscriptionem in seorsivo libro (Cur. XI. ex a. 1868 N. 10. pag. 89) — incidente numero seriali, in libro parochiali respectivo Copulatorum haec inscribet.

„Die . . . mensis . . . . anni . . supervenit huc ab officio districtuali (vel communali vel a Magistratu) N. N. contestatio officiosa dtto . . . ad N. . . tenoris subsequentis, perhibens: inter adductas ibidem personas, conjunctionem effectus civiles matrimonii producentem initam fuisse et quidem:“

Hic adducendus est per extentum testimonii textus.

Quodsi lapsu temporis testimonium copulationis desuper ab officio parochiali requisitum fuerit, idem exacta copia istius inscriptionis exhibendum erit.

Quodsi vero acciderit, ut conjunctio ejusmodi civilis, contra leges civiles inita fuerit, id est: si neglecta prorsus praeventiva apud Curatum respectivum insinuatione, aut vero post peractam ejusmodi insinuationem, attamen cum obversante et non legitime sublato impedimento civili, coram auctoritate civili celebrata fuerit; ab inscriptione in libris metricalibus ejusmodi actus abstinendum erit, et prius relatio cum omnibus adjunctis ad Consistorium Episcopale erit instituenda; — imo relatio ad Consistorium de quovis sic dicto matrimonio civili obveniente illico praestetur. E Cons. Ep. Tarn. 10. Sept. 1868.

L. 3367.

Excellentissimus Nuntius Apostolicus Vindobonensis Litteris infra sequentibus exquirit subsidia pro Seminario adolescentum Polonorum Pontificio Romae existente.

Tenor harum litterarum est sequens:

Nuntiatura Apostolica. Vienna. N. 1757.

Illme et Rme Domine! Non ignorat Dominatio Vestra Illma et Rma Romae existere

Pontificium Seminarium, quo adolescentes Poloni pietate, bonis moribus, litteris et scientiis statui ecclesiastico accomodatis sollicite instituuntur. Quantae utilitati id progressu temporis futurum sit Dioecesibus, ad quas ipsi juvenes sana doctrina imbuti revertentur, opus non est ut dicatur. Perspicit enim Dominatio Vestra Illma et Rma quidnam praesidii possit Episcopus in procuratione Dioecesis facile habere a Sacerdotibus, qui habiles sint tum ad disciplinas in Seminariis Episcopalibus tradendas, tum ad judicum munera obeunda, tum ad altiora etiam officia, si opus fuerit, exercenda.

Jam vero quum Instituti hujusmodi oeconomica ratio in angustiis versetur, et multa adhuc ad ejus conservationem atque incrementum necessaria agnoscantur, hinc preces Beatissimo Patri exhibitae, ut ad Episcopos in Polonia, Russica, Austriaca et Borussica degentes mitti possent epistolae eodem exemplo scriptae, quibus in praedicti Seminarii favorem eorumdem auxilium imploraretur. Id autem in eo esset, ut singuli Episcopi ex eleemosynis, quae imponi solent, Christifidelibus occasione dispensationum super impedimentis matrimonialibus Sanctae Sedis Apostolicae Auctoritate concedendarum, aliquam pecuniae summam praememorato Seminario assignarent.

Sanctissimus Dominus, precibus benigne exceptis, mihi commisit Dominationi Vestrae Illmae et Rmae non minus quam caeteris Episcopis per litteras significandum, Suae Sanctitatis mentem esse, ut ex praedictis eleemosynis ea pecuniae quantitas, quae conveniens judicabitur, pro Seminario Polonorum Romae existente conferatur.

Cui mandato ea qua decet reverentia obediens hasce litteras scripsi, quae opportunam mihi praebent etiam occasionem testandi peculiaris observantiae sensus, quos profiteor

Dominationis Vestrae Illmae et Rmae

Viennae die 25. Septembris 1868.

Uti Frater Addictissimus

M. Archiep. Athen. Nuntius Apost.

E Cons. Ep. Tarn. 30. Sept. 1868.

N. 3277. 3314.

Piis ad aram precibus commendantur animae:

Victoriae *Goedl* Monialis Vetero - Sandecensis 1834 natae, 1859 professae, quae 13. Septembris 1868 post diuturnum morbum patienter perpessum Sacramentis moribundorum provisa demortua est.

Vincentii *Sumara* Parochi in Słopnice aetatis annorum 60 sacerdotii 34, qui relicto jam pridem confecto testamento repentine die 16. Septembris 1868. mortem oppetiit.

Josephus Alojsius,
Episcopus Tarnoviensis.

E Consistorio Episcopali,
Tarnoviae die 15. Octobris 1868.
JOANNES FIGWER, Cancellarius.

Tarnoviæ. Impensis Consistorii, typis Anastasii Rusinowski, 1868.